CULMEN

GLORIÆ ET FELICITATIS POLONÆ

SPEM ORBIS & VOTA POPULORUM

In Montibus Lèóburgicis

SUPEREMINENS

SERENISSIMUS ac POTENTISSIMUS

AUGUSTUS II.

REX POLONIARUM

MAGNUS DUX Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæq;

Necnon hæreditarius Saxoniæ DUX, PRINCEPS, & ELECTOR, &c. &c.

In primo, solennique LEOPOLIM. Russiæ Metropolim INGRESSU, Nomine ejusdem, Regiæ Majestati suæ subjectissimæ CIVITATIS,

Cultu & applausu panegyrico

EXCEPTUS

PER

CHRISTOPHORUM IOANNEM CYBONI

S. R. M. Secretarium, Philosophiæ & Medicinæ Doctorem, Consulem Leopoliensem.

Anno humiliati ad præsepe, Regis Regum 1698.

LUBLINI, Typis Collegii Societatis IESU.

AUGUSTE, Regum, Cæsarum, DEûM sanguis,
Cognata rebus Nominis Fides, Pacis
Belliq; Princeps, duplici triumphali
Mucrone Fortis, Seculi Decus, Sacri
Fulmen Gradivi, Lechicæ Rei Culmen.
Tandem, serenum tristibus diem lustris
Datura, lapso Te parem dedit Regno
Sors æqua Regem: Te ruentis ex alto
Gentis Columnam, Dexteræ DEI certus
Monstravit Index; angulare detexit
Perennitati liberi statûs SAXUM.
Te purpuratum Thracio calens tabo
Aurora vestit, cornibus triumphalem
Flexis in arcum, Lechicum thronum supra
Te Luna tollit barbaro cadens ortu.
Europa sancto fœderi novum robur
Venisse gaudet, plausibus strepit totus
Amicus Orbis, mille personans linguis,
Te læta nostrum Principem canit Fama.
Latus timendum Rossus & Leo Regem
Cervice prona mœnibus suis infert.
Infert, tumensq; nobili jubâ, sævis
Venire monstris Herculem novum rugit.
Rugit, superbo montium jugo frangens
Voces nepoti sæculo sonaturas;
Regna, triumpha, Laureas mete & Palmas,
Vince, & perenna, Civibus Pius, Mitis,
Hosti timendus, vive semper AUGUSTUS.

NOndum Tuæ metam gloriæ, jam noſtræ felicitatis attigiſti faſtigium, Poloniæ REGVM AVGVSTISSIME. A Lauru Othomanica, ad Lechicum veniſti diadema; inde ad novas de barbaris Laurus properas, nos jam Te Rege, ad optatæ felicitatis terminum, cum cecidiſſe videremur, Gens Lechica ſtamus. Vnicus Tibi ad Coronam à Mitra paſſus, ſoliumque Atavis edito Regibus, deſcenſu ab alto facili, gradus non apex honoris eſt; ſed ſpei publicæ ac votorum, nec non ſupremæ Regni fortunæ ac gloriæ, Tu noſtro Rex in ſolio, culmen utrumq; tenes. Parum Regalis incremento tituli, vel ante ortum Sereniſsimo acceſsiſſe fatemur; Nobis vix voto tàm ſublimè conniti audacia fuit, quò elevatiorem Tecum ſortem noſtram, mitior evexit Superûm deſtinatio. Tu, ſimul in ſolo ac ſolio conſtitiſti, primusq; Te, necdum recta firmatus in veſtigia greſſus, rectà locavit in faſtigiis; Nobis alternante Regnorum vices fortunâ, ab avita Poloni Nominis Majeſtate dejectis & devolutis, nonulla attollendæ rursùs felicior hora, quàm quæ Te Hectorem ruentis alto à culmine Trojæ, collapſæ Rei Lechicæ Atlantem, quæ Regem Auguſtum dixit. Volvimus dimidio pænè ſeculo, irrequietum velut Siſyphi Saxum, cum parcit, & cum ſævit, ex æquo duram ferreæ ſortis rotam, toti ære & chalybe rigentes Sarmatæ: bellum atrox, aut pacem ſterilem, inter extrema & præcipitia nihil medium, unicam in ſumma libertate pereundi licentiam, lactavimus infauſto ſpei ubere, tantùm ſperando meliora. Eri-

puère cum D. IOANNE III reliquias Gratiarum offensa Numina, illiusq; ab occasu extremum decretoriæ noctis crepusculum, atro undiq; horrore incubuit. Sensimus in acephalo Reipublicæ corpore ipsis præcordiis toto Iove adactum fulmen positi extra Clypeum. Detonuit illico nubes illa, tot jam dudum gravida procellis, haustura decumano fluctu, contortis in diversa animis, ceu luctantibus ventis huc & illuc impulsum, præcisis solidæ spei anchoris, & scisso discordiis velo lacerum sine Gubernatore navigium, quod hucusq; ne naufragâsset, unica solertissimi Principis fortuna & virtus morabatur. Ivit in vincula Sacramento solutus miles, ausus q; Civis, quæ ab hoste vix evenirent. Erexit tumido rursùm fastu, extincti Triumphatoris dexterâ attritum Othomanica Luna cornu, & ad efferendum regiis cum cineribus Regni cadaver, latiori sese ostio aperuit Porta illa; Aquilam sine Scuto Harpyæ Scythicæ audaciùs adortæ. Convocata, ut Orbitati suæ consuleret pupilla Respublica, ipsam tandem reliquæ spei delicatissimam profundo vulnere pupillam læsit, dum rupto (quod ultimum malorum erat) Consilio, tardantia interitum fata, ut maturarent provocâsse visa est; adeoq; omnis præsidii & consilii exsortes, nolentes quasi non periimus. Tuæ nimirum REX AVGVSTE tàm atrox tempestas serenitati præivit, ut augustiorem produceret, *pariterq; darentur Sceptra Tibi, Lechiæq; dies caligine liber.* In Te ejus Nominis Secundo, adeoq; felicissimo Regum, veterem Romæ fortunam evolvimus Poloni; solam summi Augusti mentem, tantæ molis capacem, quæ in margine fatorum positos, ad illud rursus quò excidimus, felicitatis & gloriæ fastigium elevaret, lubricamq; & vitream Regni sortem, in adamante aut marmore constitueret, Princeps SAXO. Tuæ videlicet in primo Solii Poloni aditu, calcantis fortunam virtutis, arcano cælorum Sigillo munitus character est, convertere fata in melius, plusq; ab iratis & renuentibus exigere, quàm à propitiis

& vo-

& volentibus nobis licuerit impetrare. Irrequieta boni publici solicitudo Tua jam abunde effecit, ut quem gratiosissimum Regum doluimus, jam pænè non sentiamus perdidisse. Stupet ad hunc, quem Tuo in Capite coronavimus Sarmatiæ felicitatis verticem arrectus Orbis, assurgit in spes & vires novas validior sacri fæderis Europa, intremuit perculsus hostis, superfusa cælitus animorum dulcedine colliquescimus Poloni! *Unde tàm blanda repente Numina? qui fractos Superi redisstis ad Argos?* Exsiliunt inter exaggerata Christiani Orbis & Urbium Poloniæ gaudia, accincti, festiva exsultatione & Leóburgici Montes. Hodie demum stellato feriunt Sidera vertice, dum surrectura mox altiùs trophæis Tuis juga, nunc pedibus Regiis, & fortunæ gloriæq; Regni fastigio, profundissima subjectione inclinant. Quæ in illis magnanimo contra Draconem Orientis Leoni prælucet stella, jam innubis felicitatis publicæ aurora est; dum Te Serenissimo Poloniarum Sole cælum Roxolanum effulget. Gnarus cui serviat, subdita adusq; exuvias veneratione prostratus LEO Noster, adorat suum in Te incomparabili robore corporis, & animi magnitudine, Vindicem & Assertorem Alcidam; lambit devoto perennem in cultum ore & stylo plantas Regias, mox quidquid in Montibus suis calcaverint in Laurearum nemora plantaturas. Iam jam dulcissimi prælibat in ore suo, cælestia dona seculi, quibus fluxuram rursus sub Te Principe, melle & lacte Podoliam inundabis. Cum verò totas Atticæ Svadæ Hyblas; Ambrosiumq; nectar, loqui aut scribere de Te, majoris humana meditatione laudis rivulus aut gutta est; totus abysso gloriæ Tuæ, & torrente publicæ voluptatis absorptus, prosequitur stylum humilem, suis in Montibus elevante obsequio, supremum sub Te Principe, Polonæ Gloriæ & felicitatis fastigium.

Cupere altissima, non optimorum tantùm, (quod ille prudentiæ Romanæ summus) at omnium propè mortalium votum est; non cuiquam tamen, sed rariore duntax-

taxat Natalium sorte, primò à limine vitæ ad vasta & sublimia prodeuntibus, securiùs ac feliciùs successurum. Quotidianum Phæbo curriculum, tritaque via est, unde casus ab alto, malè ambitioso Phàëtonti, & supra vires desideratorum exitus in Eridano. Fumus temeritatis non gloriæ ardor fuit, quem suo adhuc nomine æstuantibus in aquis extinxit Icarus, ceratis evolâsse ad Solem pennis, supra quàm molli ac liquidæ fragilitati tutum erat. Talpæ quidem etiam ac testudines, anhelos improbæ spei passus, & immobilem, ut ut sibi festinare videntur, contentionem fatigant, ut Appenninum vel Pyræneos ascendant; sed cum in illis Aquilæ nidos ponant, uno grandium alarum nisu, reptilia præcurrunt, & inde vestibulum habent altiùs evadendi, quæ projecta humiliore fato indoles, vix per suspiria pertingit dum aspirat. Exsibilat malè natam arundinem ventorum murmur, quod tenui culmo fluctuans & ignobile caput, priùs Patri limo allidat, quàm in sublime efferat, dum impavidâ turbinum injuriis frontem cælo propiùs admovet annosa Quercus, & infra se primum ver intonsi fruticis, aut nutantis virgulæ alterna ludibria ridet. Iam Carpathus, jam Olympus cælo vicinum cacumen adstituit, priusquã in plano aut profundo vallium, ex congesto inertibus ventis pulvere acclive solum protuberavit in acumen, aut parvi ex atomis tumuêre colles. Exhaurit infirmas vires, longum arduumque iter, quibus ab imis ad summa conatus est, gradumque per ea, quæ obstant & arcent, eluctantem, per intervalla molitur pumilio, dum uno saltu Gigas in cunis animus fastigia involat, & volucri cæloque vicinæ indoli cognata sublimia tenet. Sensim & per beneficia temporis, incrementum lucis accipere, minoresque inter Siderum ignes micare priùs, quàm toto vultu splendeat, famulæ noctium Lunæ tenuitas est: Sol diei Astrorumque Princeps, illico erumpit maximus, purpuratus in diluculo, in ortu ac meridie pari lumine circumfusus, nunquam sine corona radiorum, semper in Majestate lucis Serenissimus.

Et

Et hæc Tua eſt ad Poloniæ Solium, æmula Solis via. hæc tota ſimul Tecum Orbi Sarmatico infuſa Natalitii ſplendoris magnitudo, antequam lucem vitæ hauſeris, ipſo Naturæ privilegio SERENISSIME AVGVSTE. Non Te Regius confudit honor, inopinaq; turbat gloria, quò alii aſcenderent, Tu natus eras. In Cunis, quas geminum Tibi inſtravit cubile Solis, jacuiſti ſuper faſtigia, Trabeas & Paludamenta evolviſti in faſciis; vagitus, triumphos & imperia ſonuêre. Necdum inflexam ſuſtinente cervicem, & jam tot populis adorato in Capite, eminuit paterno & conſangvineo diademate radiatus apex. Quidquid coronatæ lucis altiſsimus in Europa provexit meridies, in Ortum Tibi influit; quidquid utroq; clarus à cardine Mundus celſum & ſublime attollit, Tibi ſe, primum in terra pedem poſituro ſubmiſit; ut ſanè, quâ creviſſet quisquam alius, ex Te creſcat Regalis tituli ſerenitas, Tuo in Capite altior, & magis verticalis. Subire Sacrum illud inveſtigabilis antiquitatis Pantheon, & per tot Ducum, Principum, Regum, Imperatorum, ſemideos vultus, locatasq; magna cæli parte Imagines, audacem palpebram circumferre, ſeculorum negotium eſt; dierum aliquot ſcriptori horror quidam divinus & religio. Coævum videlicet mundi naſcentis elemento, primoq; ſtatim in latice coronatum fontem, ex quo Sereniſsimus DVCVM SAXONIÆ Sangvis, plenis decorum fluminibus, ipſa in ſcaturigine exundavit, profundiùs rimari, idem eſt. quod circumfuſi terris Oceani natalem alveum ſcire velle, & inexhauſtos aquarum vortices, ad guttas & ſtillicidia revocare. Inter Pyrrhæ & Deucalionis lapides, evolve baſilica Auguſtæ Domûs Semina, ſi quem exordium ſciviſſe urit cupiditas; jam inter illos, gemmis & adamantibus riguit GENS SAXONICA, jam meliore lapillo ſignavit fundamenta Regnorum, excitavit Gloriæ & Honori dura-

 tura

tura in ævum auguſtalia de lapide pretioſo. Diductus poſtea in Anhaldinas & Miſnenſes, in Lunæburgas ac Brunſvicenſes, ſexcentasq; alias propagines, Nylus hic Ægyptio nobilior, & veriùs ab Origine cælo ipſi affinis, plusquàm ſepteno Sereniſsimi torrentis oſtio, totam alluit Europam, in Palæſtinæ Bellatoribus terram ſanctam, in Orbis Heroibus ultimam prope Thulen cruore generoſo perfudit, nullis non terris Dominos, nullis non Soliis Reges ac Principes dedit, ad Imperatorum Solia, ad Tyaram Vaticanum prorupit, cælum ac Divos cognatione attigit, gloria & honore Orbem implevit univerſum.

Bis mille prope eſt ut numeret Mundus annos, ex quo ab [a] ARTHARIO REGE Saxoniam ſuſpexit coronatam, interrupta Nepotum Regum ſucceſsione, ad usq; VITIKINDI Magna tempora, & majorem vel maximis terræ titulis ac emeritam virtutem, quàm cælum ipſum, & ex adverſis emicans Superûm beneficentia coronâſſet: Regium illi, Caroli Magni potentia detraxit diadema, ſed unius jacturam, in numero totius pæne Orbis Coronarum acceſſu rependit, in nudum Caput, ruptis veluti repagulis effuſa cum aquis luſtralibus cælorum benedictio, cum ſimul à barbaro gentilitatis ritu ad fidem Orthodoxam, ſimul à Saxoniæ Faſcibus, ad univerſa, quibus ſe Chriſtianum inclinat genu, terrarum Orbis Solia, Domum Sereniſsimam traduxiſſet. [b] Quàm fęlix, quàm auſpicatum illud HENRICI I. aucupium! in quo inventus & ſalutatus Imperator, bonis avibus Saxo-Vitikindeæ Genti, Aquilam Bicipitem intulit: quæ mox in OTHONE FILIO Longobardiâ, Lotharingiâ, Borgundiâ, Arelatenſi Regno, & quidquid à Moſa ad Rhenum Sceptra Galliæ adoraverat, longè latèq; patenti terrarum latifundio, Faſcibus Germanicis

a *Antonius Albicius Nobilis Florentinus, in Principum Chriſtianorum Stemmatibus.*
b *Gutſeinus in Saxonia Catholica.*

nicis asserto & restituto, alas suas, in vastissimam Imperii amplitudinem dilatavit, faustisq; sub penetralibus, interruptâ centum & ultra annorum serie Imperatoriæ Majestatis nodum posuit. In OTHONE II. Coelite Christiano vel hodie demum, *invidiam terris mariq; & tantùm non ponit Olympo*, incomparabilis fortunæ & fortitudinis prodigium veriùs quàm exemplum; qui bello ad Beneventum Sarracenico, non minùs fortis Miles, quàm egregius Imperator, & ex utroq; Cæsar, dum strenuissimè depugnat, ab hostibus captus, in mare desiliit, & natando ad suos elapsus, vestigia gloriæ immortalis, ipsis in aquis duratura reliquit. Obriguisse in marmor, ad tantæ in Imperatore audaciæ miraculum, vitream Thetym non ex vano crediderim; & emergenti rursùs profundô suô fortunæ Cæsaris obnoxiam fuisse, quæ utiq; vel magni Iulii felicitate major esset, quod suam ille Cymbâ veheret, Hic solo pedum remigio ad littus deduceret, fastumq; pelagi & tumentes procellas generosè calcando, ipsam veluti mortem sub pedibus haberet. Sacræ OTHONIS III memoriæ, tota in plausum, tota in censum gratitudinis assurge obærata Polonia! quô Regum cingis tempora, Illi aurum Coronæ debes. Ad calentes olim recenti cæde Cineres D. Martyris & Archi-Præsulis ADALBERTI, peregrinæ Imperatoriæ pietati, panno iter septem milliarium stravisti, hodie AVGVSTO NEPOTI, ad Tuæ culmen gloriæ & fortunæ, grandem ineunti viam, purpuram in solio sterne. Regium Diadema, quod ab Atavo donum hospitii habes, cui meliùs in mansuræ pignus felicitatis reddideris, quàm dignissimo Collatoris Hæredi? Nemo sanctiùs nemo teneriùs Avitum detulerit decus, quàm qui munus proprium in Majorum beneficio recognoscet. Recipis veriùs quàm inauguras Tuo Regem AVGVSTVM solio, nam quidquid in illo regia hactenus serenitate enituit, totum id muneris sui est; fuitq;, au-

ſim credere, arcana fatorum deſtinatio, ut hac rerum noſtrarum tempeſtate, attollendo in melius labanti Regno, illa de Styrpe deſideratiſsimus Princeps obtingeret, quæ primam olim Poloniæ ſuccreſcentis ætatem à Mitra extulit ad Coronam. Negavit porrò OTHONI III poſteritatem Natura, cum gloria fæcundum ſatis redderet, tot videlicet liberorum, quot Regum vel in ipſo Regno Libertatis Parentem. Abundè ſterilitatis injuriam, vel hodierno, quem AVGVSTVM in Nomine & Solio adoramus, compenſavit Nepote, in quo & Anteceſſorum Poloniæ Regum, & fertiliſsimæ Sceptrorum per Orbem Saxoniæ Domûs, collecta omnia in unum decora, Sereniſsimam Nobis edidit in lucem.

Devoluti exinde ad HENRICVM II Imperii Faſces, Diis Nomen Saxonicum miſcuêre Superis, cum Bavaricâ Kunegundis Vxoris inſtratus purpurâ Imperatorius thalamus, inter Virgineæ lilia caſtitatis coronato pudore effloruit. Fecit Palatii & lecti Auguſti inquilinam, quæ parvis tantùm tectis habitat, Sanctus Imperator verecundiam: geſtavit Purpuram verè dibapham, æquè roſei pudoris Oſtro, ac Tyrio rubentem murice, geminata Virtutis & Honoris tincturâ. Ebur illud Angelicæ mentis, quod inter fluentem Opibus & deliciis, vitæ aulicæ libertatem, fervidiores veluti inter Cypridis calores, puris nivibus illæſum perſtiterit; ſi affinem Phænici raritatem Orbis æſtimat, Saxonicæ Styrpis humana major gloria, cæloq; conterminum decus eſt, inuſitatum conjugatæ in Trabea Virginitatis miraculum, domeſticum habuiſſe. LOTHARIVS tandem ex Comitibus à Querfurt, Saxonico laticlavio, Imperatorium paludamentum accinxit, eâ utriusq; tituli amplitudine, ut unum ſine altero non facilè dignoſceret indiviſa Majeſtas. Exaggerâſſent hunc Imperialium Coronarum acervum Magnus OTHO HENRICI! Genitor & Fridericus III.

Dux

Dux Saxoniæ & Princeps Elector: quibus se Purpura supplex obtulit, blandeqꝫ repulsus vestigiis instabat honos, nisi translato ab Othone in CONRADVM ex sorore Nepotem, à Friderico in CAROLVM V, Romano diademate, neqꝫ rogati regnare voluissent, hoc ipso supra communem mortalium sortem, cælo propiùs subvecti, quòd ambitu modestiam superiorem fecerint, fastumqꝫ potiùs quàm fastigia rerum, Magni supra seipsos Imperatores calcare prælegerint. Extincta in illis cunctis affectibus flagrantior dominandi cupido, illam hodie Serenitati Tuæ Optatißime Regum adspergit lucem, ut in censu & pompa Majorum felici dextra computes, & qui suprema conscenderint in Orbe, honorum culmina, & qui super alto magnanimæ humilitatis gradu modesti constiterint, æquè in Imperatorum Solio, ac in scabello protriti generoso pede ambitûs sublimes & Augusti.

Ivit Stirps Tua à summis ad maxima; à Regum Cæsarumqꝫ fastigiis, ad usqꝫ Principem in terris, Vicariam Numinis Majestatem. GREGORIVS V. Pontifex maximus, super Ecclesiæ Petra, de SAXONICA Domo fulsit Gemma, inter Pontifices. c Quanti tunc fluctus involuerant Navem Petri, quanta adusqꝫ diluvium multi sangvinis increverat à Crescentio tempestas! ut non sine periculo turbidum illud sustinuisset dignitas Vaticana, nisi Petram illius, SAXO Pontifex solidâsset. Advolat valido cum Exercitu in Cognati auxilium OTHO III, hostem obsidet, expugnat, vincit, Romam Gregorio asserit, Crescentium, quòd supra Caput Orbis, inflatas malè sano tumore cristas erigeret, pedibus manibusqꝫ mutilatum diminuit, patibulo attollit, ut impiam eminendi temeritatem retinuisset suspensam. Augusta Principum Electorum Corona, curæ & solertiæ OTHONIS, oraculo GREGORII Septemvirâtus sui decus & auspicia debet. Claves, quibus omnia patent, cum dexterrima

 manu

c *Baronius Anno 962.*

manu tractaret, aperuit interclusam tot seculorum gemitu, illam Orbi felicitatem; quòd multo populorum funere & Gentium cadaveribus repurgatus, redactâ in angustias cruenta ac effreni ambitione, latiorem securæ virtuti explicuerit arenam currendi per suffragia ad bravium. Tulit dignum approbatore cælo præmium labor ille, & conatus benè merendi in publicum, collato divinitùs planè Serenissimæ Domui privilegio, perpetuæ in hoc Senaculo Curulis, ut & eligi & eligere Imperatores, unicum in Orbe decus geminum possideat immortale.

Sed quid tàm altum, Orbe toto, sublimium congestu titulorum fastigiati posuistis honores, quod non Saxoniæ Gentis attingat proceritas? quod non Europæ Regnum è Vitikindeæ consangvinitatis arbore poma aurea decerpsit? Infregit Dodoneæ sylvæ gloriam, formavit terrarum Numina, tota Fascibus & Sceptris effronduit, tota Mitris & Coronis implexa, ab ipsa radice, cum ævi senio, sine temporis edacis carie per Solia & thronos dispersit cum Sole ramos. Dedit novæ titulorum plantationi pares surculos, novo marcescentes Familias virore, per sui Sangvinis influxum fæcundavit, celsissima ubiq; heroica, inclyta, augusta, Orbis imperio par.

Gallica, ad stateram hodie suam, æquilibrium Europæ ponderans magnitudo, septingentis plus ultrà annis, debet VITIKINDEO germini decora Liliorum. HVGO CAPETVN vere perpetuo, formosissimo-Flori huic inscripsit Saxonum Nomina Regum, desinente in punctum ultimum CAROLI MAGNI lineâ, ad Sceptra Galliæ vocatus. Quidquid proinde à tot seculis magnificum & ingens, terrâ mariq; heroicum & triumphale, quà Sidus currit utrumq;, Gallici Nominis extendit Majestatem, à Styrpe Vitikindea pullulat; ab hujus Serenissimi Sangvinis imbre aureo, immarcescibile decus, vigoremq; perpetuum traxerunt Lilia utroq; cælo florida, toto Orbe augusta.

Non

Non minori fortunæ & gloriæ proventu ex hac per Orbem regnatrice Familia, Regum Maximos habuêre Magna olim Britannia, Hungaria, Sicilia, Dania, Norvegia, Svecia, Cyprus, Neapolis, Navarra: Conditores aut Restauratores Principes ac Duces, Brabantia, Bavaria, Burgundia, Sabaudia, Aurelia, Lotharingia, Holsatia, Slesviga, Pedemontium, Brandeburgicus, Thuringicus, Misnensis Marchionatus, sexcentæque aliæ belli pacisque præsidiis potentissimæ Gentes, quarum vel ipsa Nomina grandes paginas implerent, si singulæ cum haustis è Saxonico fonte splendoribus ad calculum venirent. Suis æternitas tot Augustos perenniùs fastis sculpsit legendos nepotibus, populorum fatigaturos memoriam omnem, si ab infantia pænè mundi, inter rudera prisci Sangvinis studiosiùs evolvantur. Subeunt recentiorem obtutum & calamum prensant præcipui ex innumeris, BERTHOLDVS Othonis II Nepos, Sabaudiam ex Comitatu in Marchionatum permutans; HVGO, inclyta Vitikindi progenies, Brandeburgicum: CONRADVS Virtute & Nomine Magnus, Misnensem: LVDOLPHVS Thuringiæ Marchionatus, grandibus auspiciis exorsi.

Non est omninò ullus vel remotissimæ terrarum Gentis limes, qui Nobilitatis Tuæ immensitatem definiat Regum Maxime. Alexandrum Macedonia prætextatum, Te vagientem adhuc, & jam uno tantùm Iove minorem, Orbis non potuit capere universus. In ipsam Olympi Regiam, Superûmque Empyreas Domos, Cognationis Tuæ grandem deduxisti coloniam, ut vel à receptis cælo Divis Majoribus Tuis non leve incumbat Atlanti pondus. Ne verò & Superos, non per suprema terrarum peteret, regiâ ad illos etiam contendit viâ Serenissimus ubique Sangvis Tuus. HENRICVS II Imperator, LVDOVICVS Galliarum, STEPHANVS & EMERICVS Hungariæ Reges, GISLA Stephani Conjunx, Emerici Mater, in Divis filio

lio & marito, imò Hungariâ universâ, in lucem veræ fidei regeneratâ, felix fæcunditate sua, MATHILDIS Othonis Imperatoris Mater, ELISABETHA Hungariæ, HEDVIGIS Poloniæ Regina, augusta inter Superos Nomina Tuorum eminent. Quid memorem geminos, duo Sidera, Præsules, BRVNONEM Augustanum Pontificem, BONIFACIVM Rusiæ Archiepiscopum & Martyrem? Infulas ille, Tuo de cælis acclinat diademati, hic heroicum pro Christo Sangvinem ostentat in purpura, ut quem sanctum & innocentem barbara olim effuderat & calcaverat, nunc in regali paludamento divinis effulgentem coloribus, Orthodoxa, & Tua jam Rusia adoraret. Habemus, hoc thesauro felices Roxolani, Tui prima Poloni rudimenta muricis, olim guttas nunc gemmas, in divini sangvine Heròis, reddituri debitæ ad extrema fidei ultimum pro Te sangvinem, qui Tuum ex Atavo Antistite, mala tunc quidem fide bibimus, sed voto Bonifacius propinavit optimo ad populorum salutem. Tibi, Tibi, Invictisime Regum, cruenta hæc Majorum vestigia retinet tellus nostra: quò Te magnanima barbari cruoris sitis, & bellatricis gloriæ ardor vocat, hàc iter est bellis. Totus ad prælia Domini indomitis ferves ignibus, totus in Sanctæ Fidei tutelam, interitum hostium Crucis CHRISTI, succensis de cælo coloribus æstuas, hîc quærendæ multo sangvine gloriæ repertam tanto votorum cursu arenam iniisti. Quid enim ab imbre purpureo Bonifacii, nisi diluvia cruoris barbari, ad Polonæ decus purpuræ, quid, nisi fæcunda speres germina Lauréàrum?

Subvectus ad usque cælos, per Vitikindeæ Gentis Sidera, audax sublime ferri calamus, viam rursus affectat Olympo, cum in Sacra MISNENSIS Familiæ atria, unamque totius imperio Orbis fæcundam Domum, religiosus quidem deflectit, pervicax tamen magna modis tenuare parvis. Quod non THIEMO Comes à Vitthin,

Vitthin, Misnensia inter lumina primæ Magnitudinis Sidus, quid inquàm non cælo dignum, terrisq; spiravit altius? cum totis cruentum ardens præcordiis Martem, & in prælo Mansfelidiensi, vulneri, gloriâ non minore quàm sangvine mananti, triumphaliter immortuus, hàc ex humanis excesit, qua Heroibus ad Astra itur. CONRADVS Marchionum Misniæ primus, MAGNI cognomentum factis grandibus sortitus, cum Orbem gloriâ implevisset, depositis ultro Fascibus, minimum se mortalium, intra religiosæ vitæ modestiam censeri præoptans, cælum invasit Maximus. THEODORICVS Cænobii Dobralucæ Fundator, lucem, ipsis ab umbris, quæ sacros recessus tegunt, Nomini Serenisimo accendit immortalem. OTHO dives opum non minùs quàm virtutum, Vrbium Fribergæ & Lipsiæ Conditor, inter erutas è terræ visceribus auri argentiq; glebas, fodinam purioris obryzi in candidisimo pectore apertam circumtulit, æquè urbes muris, ac mores duxit meliore metallo. Rigidis, Placidi: Strenuis, Bellicosi: Fortibus, Sapientes, succesêre FRIDERICI. His ERNESTVS Patris Patriæ inusitatum agnomen & Coronam Pietatis in titulo permiscet; IOANNES Bonus & Constans geminum decus adiicit, ne Trajanos post Nervas, aut Titos post Flavios, rarisimam Bonis Optimorum succesionem, Romana ampliùs jactaret antiquitas; dum longiori multò interruptæ virtutis serie, inter Serenisima Misnensis cæli lumina fulsit pro Castore Pollux. Attollit vel è tumulo trophæa, subnixus victori gladio MAVRITIVS Imperii Elector, Carolo V. Imperatori Germanæ Militiæ Ductor, seculi sui Epaminondas, dignam heròë animo quærens per vulnera mortem. Intexuêre Palmis Oleas Togatæ Prudentiæ Sidera, AVGVSTVS I CHRISTIANVS uterq;, in quibus ingenium quantæcunq; fortunæ capax, & par augustisimis indoles, consummatas benè & feliciter regnandi artes, Orbis Principibus exhibuit ad prototypon.

D Inten-

Intende audacem in ſublimia niſum calame! & jam ad ſupremam Saxonici Splendoris augem, ad illam quæ lucem inacceſsibilem habitat meridiani Solis regiam, per decurſam tot luminum Siderumq́ſ ſemitam eluctare. Ita ſanè SERENISSIME REX, quò propiùs avitum Sangvinis Tui jubar, collecta luce, & toto velut Sole Cunas, Soliumq́ſ Tuum irradiat; eò ſublimior altiſsimis Lucina Tua Aſtris graditur, medioq́ſ ponit veſtigia cælo. Ita mihi incurrit in oculos, & in aſſvetam tantæ luci pupillam ultore radio everberat Sereniſsimus Dux & Elector Pròavus Tuus, IOANNES GEORGIVS I. Vidit in illo, geminum Mundi Oculo Ocellum Principum, terſiſsimo nitore mentis ſolerter ad omnia circumſpectum, ſvaviter in omnia influentem, ſæva illa Europæ nubes; quæ actis in profundam caliginem Regnorum diſcordiis condenſata, jam fulgurante mutua in fulmina tonitru immugierat, jam in fædam armorum tempeſtatem & nimbos ſangvinis diſsilire parabat; niſi Magnus tunc ille Mundi Arbiter, & è tripode ſuo oracula Pacis locutus, inopinam in malaciam riſiſſet Apollo. An verò Stylum non in Sole defigo? dum factis illuſtribus in ſecula ſcintillantem refrico memoriam IOANNIS GEORGII II Avi Tui Glorioſiſsimi. Meridiabatur ſub illo, ad Orbis uſq́ſ invidiam, ſine turbine & umbra, diebus horiſq́ſ aureis renidens, & innubis Saxoniæ felicitas. Tota in Togam, cujus ne fimbriam quidem tetigit Martis ira, ſplendidè & magnificè compoſita, ſolos ad ingenii conflictum, artiſq́ſ certamen provocavit Myrones & Parrhaſios; crevit in ſuperba annoſæ pacis opera. divitiis circumfluxit, Ordinem rerum animam in ipſa vitalia excepit, Legum robur firmavit, lucem gloriæ latè ſparſit, niveas Pacis & Iuſtitiæ bigas placido illo moderante Numa.

Ac tandem, Magnum Genitorem Tuum, Noſtræ in Te ſupra culmina Solis ituræ felicitatis Parentem,

Sere-

Serenißimum IOANNEM GEORGIVM III dum cogito, multos Soles in uno ſtupeo, & voragine quadam lucis concentratæ abſorptus, obambulantes perſtricto ingenio tenebras ipſo in meridie palpo. Occurrunt Sole meridiano clariora laudis amplißimæ argumenta, ſed confuſam tanto luminum concurſu obtuſæ mentis aciem magis hebetant & obnubilant, & dum ſingula, abreptum, ut aſpici poßint, oculum, fatigant, multâ ſe luce videri prohibent universa. Quid non illo ſummum? quid non ultra faſtigia porrectum? Parnaßi ſomnia & felicium cogitationes ingeniorum excedens? elevatißimos calami lingvæq; modos ſupereminens? Militaris Baltheus, an aurea pacis zona, Ducalem illi Trabeam, pulchrius præcinxerit? Caßis an Mitra, Majeſtatem vultûs dignius explicuerit? Toga an Sagum Ducem & Principem, an belli Imperatorem magis decuerit? utriusq; virtutis contentio & pugna innocens, ſeculorum judicium in ancipiti tenet. Martiam illi gloriam madentibus adhuc calenti ſangvine trophæis in immenſum attollit, defenſa victricibus armis, & per hoſtilium acervos cadaverum, per vindicatarum ruinas Vrbium, in triumphalem Coloſſum Hectori ſuo aſſurgens Germania. Rhenus & Danubius, utroq; pulchras in littore laurus, uſq; dum decolore tabo fluentibus undis alluunt, ut virentes immortalius conſervent: Muralibus Obſidionales innectunt, ut Coronâ æternitatis impleant Moguntia & Vienna. Adſpexit hoc in illo, toto Marte inhabitatum pectus, & intima cordis admißione dilexit, Apex ille ævi ſui Heroum, Europæ Clypeus, Orientis Occidens, toto Orbe gemendus. D. IOANNES III, in illa, quâ pro una Vrbe, de Orbis pænè univerſi integritate pugnatum eſt, Viennenſi arena. In illo, quod ad Tulnenſem Danubii ripam Capitolium ſub Papilione viderat, lectißimorum Germaniæ Procerum, Imperiiq; Principum Comitio, non pænituit Regum Heròem, Heròumq; Re-

gem, in ſuos ad bellicæ prudentiæ regulas caſtigatiſsimos ſenſus, manibus pedibusq; iviſſe, qui triumphalium anteambulones ſucceſsùum rectà duxerunt ad victoriam. In conflictu, quo Gradivus acriorem non vidit, mediam Illi ſocialis Exercitûs aciem dirigendam commiſit, quia prudentiſsimam fortitudinem ſuam, & fortiſsimam prudentiam, inter ſeptuaginta armatorum millia, Cordis locô reponi debuiſſe exiſtimavit; unde generoſus, fortia audendi vigor, & Martii Spiritus, tanquam à centro quodam & principio heroici caloris, circulatorio influxu, in univerſum Militiæ Corpus dimanâſſent. Tunc ſanè etiam in medio Virtus conſtitit; tunc medium tenuêre bèati tanto Duce Heroes, qui difficillima periculorum, quà imperio, quà exemplo aggreſſus, de Trecentis Turcarum millibus, novem horarum ſpatio, libratam dubiâ victoriæ manu Laurum primus planè præcerpſit. Togatas ſummi Principis laudes quid prolixus memorem! loquitur illas, virtutum omnium, quæ purpuras exornant, quæ in faſtigiis rerum humanarum eminent, inviſcerata animis & amoribus poſterorum, numeris omnibus abſolutiſsima Majeſtas. Rapuerant breves ſubditorum amores, gemina hæc Magni Parentis decora in Sereniſsimo Ioanne Georgio IV, Fratre Tuo deſideratiſsimo, ſed illum oſtenderunt tantùm præcocia terris fata, ut collecta utriusq; gloria, auctior in unum deſineret, non incapacem omnium, quia ſucceſſorem Auguſtum. Si dignas, quæ gemmis ſignentur, tantorum virtutes Principum, vel ipſe iuſta rebus pretia detrahens livor judicet, quæ nobilior illarum celatura, quam in Te pretioſiſsimo SAXONICI ſplendoris unione, id eſt vaſtitas & ſplendor omnium in Vno totus.

Hic videlicet Sereniſsimus ab Origine, affuſus cælo, & terris omnibus ſparſus, bullit regio Tibi ſub pectore Sangvis, Regum & Majorum Tuorum Maxime AVGVSTE. Hic magnæ ipſis in Cunis Indoli, fumoſas

moſas ita cum luce genethliaca impreſsit Ceras, ut illas non Imaginibus tantùm, ſed & moribus exprimeres, nec per titulorum tantùm faſtigia, ſed arduos etiam non obviæ virtutis clivos Polonum in Solium nitereris. Vmbram perſæpe obſcuros in Nepotes deformem proiiciunt, avita Inachiæ Domûs Lumina: deferveſcit ætatum ſerie in poſteris, qui in vetuſto Atavorum Sangvine ad gloriam incaluerat, æmulæ virtutis ardor; & dum Laureato Cineri inſepultus, adhuc ſculptis ſuperbo Mauſoleo in vultibus emicat, jam ignavo Nepotum in pectore, ipſo marmore immaniùs friget. Primam, eamq; pulcherrimam indulgentis Naturæ dotem, magnæ decus originis, jactant ſolo antiquitatis pretio imbelles Aquilarum columbæ; nihil ad Domûs Illuſtris nidum, de Cedris immortalibus, ſed vilibus de virgultis lutum & paleas ferunt. Nihil illis ex alta conſangvinitatis arbore ad gloriam pullulat præter Styrpem, nihil in faſtis de vita & factis legitur, præter ſteriles Avorum titulos, & Nomina vana Catonum. Pendent ab atriis & parietibus, quæ animis profundiùs affigi debuerant Parentum ſimulacra, & obſita denſo pulvere, muſcas cruſtis & coloribus, aut inertes paſcunt tineas, quæ per geminæ lineamenta virtutis, famem & cupiditatem gloriæ nutriviſſe debuerant. Sic limpidum à primigenia cryſtallo flumen, & puro fontis argento cadentes fluvii, cænoſis tractu aquarum paludibus ſcatent. Sic indignus diluculo illuſtri dies, habuit auroram in purpura, ſed ut pro partu degenere erubeſceret.

Alia Tibi REX auguſti magnitudo animi, plena ab ungve tenero vaſtis cogitationibus præcordia, ut accepta à Majoribus Sereniſsimis decora ex Te ipſo deduceres ad ſummum. Illud, cum tot Imperatorum, Regum, ac Principum confertiſsimo exercitu, contendentis ad æmulationem virtutis pulcherrimum iniiſti certamen, ut non illos æquares tantùm palmaribus in-

rem Christianā meritis, sed quod ipsi demum jam extra invidiam optant, vinceres gloriosè. Laboratum tot seculis vetustissimi Honoris Templum, reddis magnificentius quàm acceperis, nec incrementa tantùm magnis gloriæ Operibus, sed ipsis demum fastigiis culmen addis; architectæ Serenissimorum Antecessorum Virtuti supremam quasi manum imponis, & coronidem, augusto regioq; Nomine coronatam. Vrgent Te Saxonum, quin jam & Polonorum Milthiadum trophæa Themistoclem. Hinc ad perpetuam Laurearum messem evaginati MVCRONIS ad cotem Saxonicæ gloriæ geminato acumine, hinc concitati ad cursus triumphales DANIÆ EQVITIS, maternis calcaribus, ad gloriosissima quævis *Te Pater Anchises, & Avunculus excitat Hector.* Genitor in Saxonia: Rex in Polonia, IOANNES, uterq; sui Nominis Tertius, Tibi ad Fasces & Sceptra præivêre; ex Te unico habituri, quo Gratiarum ternionem redderent ad posteros perfectissimum. Quantus sis, Tuum Ipse metire ad pollicem! Infra humeros Tibi est Herculeus labor: Vni Alcides Atlanti, Tu gemino, infractis sub utriusq; pondere lacertis successisti.

Atq; mihi Tuæ intervalla ætatis stricto calamo percurrenti, inversus Naturæ videtur ordo; quem dum parvum magno animo corpus extenderes, annos prementibus factis in compendium redegisti. Integerrimam licet vitam Tuam, in qua scilicet nihil præteritum excusandum habes, sine infantia fuisse propè est ut credamus; cum illam nec in cunas admiseris: in quibus Tyriis involutum pannis corpusculum, jam os humerosq; Heroibus Diis similem, jam vultu & animo Augustum evolvebat. Iam tunc dignam Imperio, Priami velut faciem, leniq; suspensam supercilio frontem, metuenda voluptas formosusq; rigor placidè asperaverat: dulces inter oculorum minas, promicabat, quâ ardes hodie, heroici caloris flamma; angves cum

Hercu-

Hercule elidendos, quærebat vinculo discincta manus, iisq; se tantùm ligari fasciis præoptabat, quibus Alexander Lysimacho vulnera, sibi gloriam obligavit: Iam ingens, impavidus, & vel Martem ipsum exarmare promptus & audax animus, gestu, nutu, incessu, & toroso pectore eminebat. Mamillam, è qua barbari cruoris sitim primo cum lacte sugeres, nutrix forte Bellona obtulit, Gradivus cunarum vice, loricam & clypeum stravit, Vesuvium ignei pro gloria bellorum pectoris, è prima Spiritûs vitalis flammula concepisti. Extulit ab utero impressum lacerto gladium natus ad bella Scanderbegus, quasi manum illam, quæ una contra Turcas pro Centimanis fuisse debuit, non priùs vel fascias, quàm arma ferre Natura voluerit; Tibi geminatâ gloriâ, binos ENSES, Vagina Heroum, Serenissima Ducum Saxoniæ Domus, nascituro porrexit, quasi Infanti etiam non sufficeret unus, manibusque cum Pellæo Iuvene de Palma certaturis, quarum Orientem una, Occidentem altera, trophæis impletura foret, duplex GLADIVS deberetur. Audiit Gladius Romanorum Marcellus. Tu cum è vestigio Majorum per gentilitia reptares ARMA, ab ipsius malleo & incude Orthodoxi Martis ad bella Domini affabre factus MVCRO prodiisse visus es, qui sævum Byzantini Caligulæ acumen, ut uno sub ictu stet genus humanum, triumphaliter retunderes, & districtis in Crucem Ensibus, quà se cunq; obtruderet Crucis hostis, partem in omnem, cædes & vulnera intentares. Quæ verò illa dulcibus prorumpentia lacrymis Magni Genitoris solatia! cum ad torvum post prælia, & adhuc tunicâ tectum adamantinâ, armatos intrepidus rueres per satellites, ad fulgur galeæ & nondum excusso pulvere horrentes cristas in apertam aciem, ad classicum trucesq; lituos pronam aurem arrigeres, arcu digitos, manum capulo fatigares, ad bellatorem eqvum, sinu suo, imò velut corpore prosilires! Quæ videntium admi-

rantiumq́; , quantus futurus eſſes, non dubiæ ſpei innixa exſpectatio! cum vix teneras emenſus ariſtas, ea, indole exhiberes, quæ confinia quidem ætatis minimæ, ſed non Tui magnitudinem animi ſuperabant.

Primæ annos pueritiæ ingreſſum, erudita Pallas, blanda manu prehenderat, ut ſtadiis bonarum artium imbueret, ſed illa etiam galèata. Vaſto & ſublimi ingenio, poſtquam tantùm literariæ lucis, quantum natam ad Sceptra indolem deceret, limata ab Ægide Minervæ afflaveris, ſubitò ad Vmbonem Bellonæ reſpexiſti. In illo velut terſiſsimo heroicæ mentis ſpeculo Te ipſum contemplatus, quantum ſpei publicæ quantum Tuo genio, non ſibi ſed Chriſtiani Orbis tutelæ & gloriæ Te genitum credenti debueris, uno omnia ſub intuitu vidiſti: & mox robuſtus acri Militiâ Puer, alter Novennis Annibal, rei bellicæ inſtituto, ab ipſa planè Bulla, conſtans & fidele ſacramentum dixiſti. durare Sole geluq́; cutem, nudo rigentiq́; gramine ſomnum & lectum fallere, obvio fonte ſitim, cibis ſine arte & foco, aut inediæ tolerantiâ explere famem, ferendis facilè oneribus fatigare lacertos, firmare vires cæliq́; injuriis exercere, feroces edomare equos, certis figere ſcopum jaculis, erutum propria manu ceſpitem ex regula & amuſsi in munimenti formam attollere, venatu agitare Sylvas, excutere ſpelæa & cubilia ferarum, formidatasq́; gregibus & agricolis belluas telo aut venabulo intrepidus aggredi, moriq́; ambitiosè volentes, manu regia dignari, pueritiæ Tibi an militiæ rudimenta fuêre? Primum vix Caſtris pedem, totum ſimul animum intuliſti: gratum in claſsico melos, ut avidâ ſemel aure biberis, tanquam Orphei vel Amphionis Cythara, aut cantu mellito Syren, bellatricem mulceret animam, nunquàm exſatiari potuiſti. Laquèaria Tibi ſub tentoriis, hortorum vel thèatri oblectamenta, in pulvere & arena, acu Phrygia depicta veſtis in lorica & Sago, pro auri gemmarumq́; ful-

gori-

goribus, charior nitidus, & ſoli facturus invidiam, ſine rubigine chalybs.

Hic Tibi ferri campiq; Martii properatus amor, ita rigidum adverſus mollia, triplici velut ære munivit pectus; ut, cum excolendam liberaliùs auguſtam indolem, per exteri Orbis gentes, quibus Europa cultiſsima nitet, circumferres, nihil in illud de exoticarum lenociniis voluptatum, nihil de bracteatæ illecebris elegantiæ irrupiſſe potuerit, Non illic Tibi perfuſum Idaliis odoribus pectinem, qui Rempublicam potiùs quàm comam turbari mallet, fluens luxu & deliciis ſuggeſsit Adonis: non torpentis ad egregios labores inertiæ pulvinar ſtravit Endimio: non menſas & pocula, quibus inimica amaræ guſtui virtutis dulcedo bibitur, miniſtravit Ganymedes: ſed paſtus duntaxat Lèonū cordibus Achilles, qui majorem bellicæ famem gloriæ acueret; igneus in Martem Scævola, qui calentes generoſo ardore fibras magis ureret, quæſitus in amicitiam & allectus; trahente ſvaviter Bellatorum Ducumq; Maximos, Magnete quodam, perennes Etheſias ſpirantis animi, & heroicarum virtutum, quas in Te viciſsim ſuſpicerent, longa & multiplici catena. Tranſiiſti totus in ea, quæ cruentos Heroum greſſus, ad fortiſsima & triumphalia urgent. Oppugnandi, propugnandiq; artes, inſtruendæ aciei regulas, locandorum leges Caſtrorum, ita diſcere viſus es; ut etiam docere potueris. Habuerunt Veterani quandoq; Heròés, quod à Tuis in documenta caperent tyrociniis; cum illis, quibus Mars ſeculi, quod vivimus, conſummatiſsimus artifex, ipſam pænè Naturam vincit, militaris prudentiæ inventis, ſolertiſsimè interdum deprompſeris, quod de Tuo adderes; iisq; quos in heroicæ perfectionis exemplar ſtatueras, ex Te ipſo exempla dares. Nihil uſpiam in Germania, Belgio, Anglia, Galliis, Hiſpaniis, terra mariq; munitum, contrà pugnantibus elementis obluctans, flumina & Oceanum ſine Xerxis inſania còërcens, Solem

 lem

lem diei, tenebras noctibus eripiens, excavatas sectasq; sine dolabris Pænorum, rupes, & terebratæ viscera telluris, ictu fulmineo pervadens, non minùs bella quàm ingenia exercens, fractis legibus & everso cursu suo defixa admiratur Natura: quod promptè & profundè cognitum, Lynceæ mentis oculo perspectum, mansumq; probè ac digestum, cum gustu feriæ virtutis anhelanti animo non hauseris, ipsasq; Martii pectoris non traduxeris in medullas.

Vix in reditu, Patriam à limine salutâsti; cum ecce exambitum tot votis probandæ virtutis Martiæ theâtrum Moguntia Tibi aperuit, illudq; primo pænè Tuo passui, quô arenam illam presseras, triumphale. Securus circumfulgentes Rheno Aquilas invictissimi Parentis vota & solatia Paterna præcurristi. Vt Te secum junxisse pericula, ut per summa & Tuis tantùm digna fatis discrimina, ad gloriam triumphi provolâsse vidit! toto pænè Rheno superfusam paterno cordi dulcedinem vix sustinuit; quin ad singula fortitudinis Tuæ prodigia, diffluerет animo in admirationem & solatia. Ivisti ad illam obsidionalem Laurum, novus cum Ænea Ascanius, cum Thèódosio Honorius, non sine grata quadam Magno Patri injuria, honoris bellici incrementum accipiens, quòd fluctuantem diu Rhenum & Brabantiam in ambiguo detinueris, cuinam Vestrum, inter Heròas seculi Principem locum darent? Scilicet quò Maximo Genitori propior, tantò Major omnibus videbâre; non eo Tuæ, quod Astris commune est felicitatis & gloriæ fato, ut primo heroicæ fortitudinis Sideri ex vicino accedens, lucis propriæ diminutionem incurreres, sed geminato potiùs splendore, alterum Orbi Solem Heroum exhiberes: Tu interim lege ex mænibus & mentibus Moguntinis memor posteritas, quæ fuerint AVGVSTO Principi trophæorum auspicia! cum hôc primô qui continuus præiret triumpho, non simplicem illi deditionis herbam, sed lilia porrexerit expugnatus hostis.

Quæ

Quæ verò ingenii aut pennæ felicitas, immortalium in Belgio & Anglia operum sublimitatem attingat? Singulis pænè passibus Lauri succrevêre & Palmæ; nullum non triumphale in hostem iter, eadem pugnæ quæ victoriæ arena, nulla sine linea fastorum æternitatis dies, & qui solidam duraturis heroum titulis laudem firmat, idem armorum ac animorum triumphus. In Castris Magnæ Britanniæ Regis cum stetisses, Castra ex Te ipso fecisti: ad quemlibet calcatæ victorioso pede telluris pulsum, (quæ Magno olim Pompeio ambitio magis, quàm voti fiducia fuit) exercitus in hostem erumpere videbantur. Cum in media hostium Castra, prodigus magnæ animæ, an fati Tui securus, proruisses; rursùs ad vocales in ævum famæ tubas, Mutium revocâsti, illius, in excessu audaciæ & pænè crimine fortitudinis, erroris reus; quòd non adusque Porsenæ tentoria, sed ad extrema densæ mortis pericula, contemptam quasi vitam projeceris, quâ olim erigeretur & viveret salus nostra. Quis referat? quantùm Te inibi ipse hostium metus amaverit! quàm metuendus confligentibus tecum, pulcherque timor occurreris! qui Te exercituum plausus, quæ Ducum heròümque studia, ac Regis amores circumstiterint! Ambire hostes ab Ense Tuo vulnera, à Tua id est fortis Æneæ manu oppetere mortem, in censum immortalis gloriæ referre, non se humano robore, sed ut Dardanium olim Heròém cava nube amictum, ferroque suo impenetrabilem credere, Cõmilitones animum è Tuo vultu sumere, Victoriam à nubibus pendere, ab oculo gratissimum heroici laboris testimonium accipere, illum fortissimum reputare, qui Tibi, id est difficillimis belli periculis esset propior: Omnes Tui copiã, singuli primam admissionem expetere: Tu, Te ita omnibus moderatissima humanitate partiri, ut singulos voto suo felices redderes, ita singulis familiarem te præbere, ut incorrupto honore Ducem conciliares cum

Milite, totumq; inter omnes Principem retineres. Rex ipse, animum semper supra pericula non satis æstimare, primum in acie, ultimum de discrimine, perpetuum in palmis colere & mirari, in vultu quem heroicus vigor, & nata Sceptris species augusta varietate confuderat, continuò hærere, inter ridentes amæno vere frontis gratias, & rigidum Martis supercilium, quidnam magis deceret? nunquàm satis discernere; non indecoro pulvere sordidum, & tamen sua Majestate conspicuum teneriùs amare & venerari; jam Te in Heroë Regem, jam alto fusum solio, cum bellatorem eqvum conscenderes: jam purpurâ fulgentem cũ cataphractus venires: jam in galea coronatum sibi videri, & divino quodam suggestu, palam omnibus edicere: Fama interim, Orbe toto, indolem supra Heroas, & dignas Imperio virtutes circumferre per vota & desideria populorum.

Talem Te Adriatico procul de littore vidit, & se illicò totum in spes novas trophæorum erexit, Magnus etiam è longinquo Heroum cultor LEO VENETVS. Ad delendam valida internecione, suis è cladibus repullulantem Orientis Hydram, destinatum cælo Herculem habiturus, Tibi suorum Clavam armorum detulit, clavem sibi in illa reserandæ avito dominio Cretæ non ex vano pollicitus. Ivisses, quò Te non minùs Centuriata Amplissimi Senatûs invitabant suffragia, quàm generoso magnanimum pectus honesto urens Virtus Tua vocabat, nisi morte Serenissimi Fratris, paratis cælum obstitisset conatibus, jam pænè capulum tenenti dexteræ, orbatos Germano Principe Saxonicos Fasces ingerens. Fuit reor Aquilarum cum Leone, oram Iove, lis quædam & contentio, Isto non minùs quàm Illis, Te sibi in fatis habitum contra Turcas triumphalium armorum Ducem, ac tandem & Regem nostrum, diurna per jurgia vendicantibus, donec inspectâ penitiùs cæli arcanorum cortinâ Te ad bella

Domi-

Domini, non excurrentem paſsibus, ſed animo evolantem intuitus Iupiter, pro Aquilis decreviſſet. Hæc certè Superûm Oracula, conſcium Imperatorii pectoris, Auguſtiſsimi LEOPOLDI moverunt tripodem, ut Te generaliſsimo Exercituum in Othomanos regimine, bellis ſuis & triumphis præficeret, Nobisq; ſuper triumphatos Pannoniæ Montes, conſpectiorem redderet, quê per medias Laurus veſtigaremus ad Coronam.

Neſcio, an fas ſit profano laudatori, per divina huc Tecum, quibus terras illas ſacrâſti, ire veſtigia? in quorum ſingulis hæret pediſequa immortalitas, ſola curſum gloriæ Tuæ æquare capax, qui calamos hîc omnes, & elevatiſsimos ſtyli conatus, longè poſt terga reliquit. Ampla & vaſtiſsima rerum à Te ſolô bienniô geſtarum ſeries, novam, haud ſatis, biſſenos per annos cruciaret Thebaidem; Medullam & nucleum Martiæ, quâ hîc paginam omnem impleviſti, virtutis, Homeri Ilias non caperet. exhauriri penitus eruditarum ſudores frontium hoc labore ebria Helicone toto ingenia, ſub mole hac in vertiginem agi, ipſa demùm, laboratura olim videtur Annalium fides. Inhiare malè ſana orexi, aureo Hungariæ pomo, ſuis nondum cladibus ſaginatus non deſtitit Tantalus Othomanicus, & toties licet Polonâ, Germanaq; fortitudine eliſis faucibus, bolum, qui ſemel admorſus, crudele irritavit palatum, continuò captabat. Tu rursùs diductam immani rictu gulam, armis triumphalibus feliciſsimè fregiſti; & aliena allatrantem, ut ſuum jecur roderet, dignum Titii vulturibus, ad rupes illas cautesq; Pannonicas victoriarum Tuarum torquibus alligâſti. Quàm divino per humanos caſus animo inceſsiſti! ut poſitam in arduo gloriam adiiſſes: qu ies effuſas totô cælô injurias, conjuratos in prælia ventos, mutatam elementorum fidem, infractâ prius triumphâſti tolerantiâ, quàm Te vel in conſpectum hoſtis admitterent; quoties cælum Tibi priùs vincendum fu-

G erat,

erat, quàm terris barbaros depuliſſes. Injecêre moram auguſtæ ad trophæa celeritati, anguſtiæ viarum; Tu, ne ſolum Ciliciæ fauces clamarent ad poſteros Alexandrum, per invia & difficillima feciſti cum non inveneris viam, Obſtitêre magnis ad gloriam paſsibus, aſperrimi, & pendente in fallaciam pedis præcipitio non adeundi montes; Tu, ne ſolum ſuperatæ Alpes efferrent in ſublime Annibalem, altiori quibusvis periculis virtuti pervios & inferiores reddidiſti: Detumuit ad Tui pedis veſtigium, ſuperbis elatus ſcopulis faſtus ille, & qui alterius plantæ audaciam, rigente magis an ridente ſupercilio, ſecurus ab alto deſpexiſſet, Tuæ ſe, emollitâ quaſi Saxorum proterviâ, & depreſſo in venerationem cacumine, ſupra quàm humanæ fortitudini blandum acclinemq; ſubmiſit. Expavêre non viſum antea diem, an Tuorum inſolitam armorum lucem, attonitæ Sylvarum tenebræ, profundis ſepulta umbris nemora, Cymmeriisq; noctibus habitati ſaltus; cum agmina & cohortes illàc duceres, ubi vix laceris tentata ungvibus ferarum veſtigia legerentur. Adeò ultra Solis ipſius viam Tua proceſsit fortitudo, & quò non radius ante Te, plenus Tecum illapſus meridies, ambigente cælo, an Phæbi tunc an animi Tui induiſſes vultum, quem tot inter viarum moleſtias, & difficultatum tædia, ſudum innubemq; circumtuliſti. Ardebat quaſi in Tuæ æmulationem inflammatiſsimæ virtutis, Syriis fervidiſsimus Sol caloribus, Tu flagrantiſsimo in Imperii ſecuritatem amore magis ac magis æſtuaſti. Inhorruit nivibus & pluviis fæderata tempeſtas; collecti intra montes nimborum excurſus, ad fluminum altitudinem excreverant, noctem diei miſcuit fædus ventis & imbribus àër: Sed hæc in Tuo, Militumq; Tuorum animo, accenſas magis aluerant gloriæ belli faces, quibus ad ſingula fortiter obëunda non tam mandatis & imperio, quàm præluxiſti exemplo. Primus ubiq; ſubiiſti juſſa, prior arduiſsima occupâſti,

cupâſti, quàm ſequi milites imperares, feciſti ipſe quod faciendum jubere debueras. Iviſti contra obnitentem magnis conatibus fortunam, detecto vultu ſimul ac animo, & quis langventem non celâſſet ſocordiam? Oppoſuiſti lætam absq; ruga, triſti cælorum inclementiæ frontem; & quem illâ non perſtrinxiſſes? cujus dejectum non erexiſſes animum? Cui oneri fuiſſent vel graviſsima perferenda? quibus immotâ Tui ipſius tolerantiâ, magnoq; Ducis exemplo multum de pondere detraxiſti. Quis non alacer evigilâſſet ad gloriam fortitudinis? cum Tu noctes plurimas, Baltheum Sagumq; non exutus, gravem ſolo ferro ſomnum duceres,; quis non inediam ſitimq; conſtantiùs tolerâſſet? cum Tu ſolo famæ immortalis appetitu celebriùs expleres famem, ſolo gloriæ ardore extingveres ſitim. Reputet maturiùs, quæ ſuum cuiq; decus rependit, immortalitas; plusne tunc heroici ſudoris Tui, quàm Maſsici generoſi, in populorum ſalutem ex Vineis Hungariæ ſuo expreſsit torculari? ut in gemmas, guttas ſingulas eliquaret, in quibus tantus in rem Auſtriacam candor, & Chriſtianæ rei pretium elucebat. An non opulentior in Montibus illis turgebat auri vena! quibus aureus in ferro Princeps, purum illud ſoloq; bono publico renidens pectoris Tui metallum admoviſti.

Iam in illo, quô ſubactis, aut induſtriâ Tuâ verſis in perniciem hoſtium cælorum injuriis, immite ſimul tempus, ſimul immanem, ſuâq; circumvicinæ telluri multitudine gravem barbarum expugnâſti, difficillimi conflictus, an Tuæ inſuperabilis virtutis Campo Martio, quanta Tibi ſurrexit laudum ſeges! quanta gloriæ ſuccrevit meſsis! Immemor pænè Ducis, geſsiſti Militem, ubi ſoli par fortitudini Tuæ occurrebat periculum: Mox Militi conciliâſti Ducem, ubi prudentia ſolers heroici ſangvinis commendabat parſimoniam. Dediſti omnibus pugnæ legem, ſed quam primus omnium impleviſſes. Caput Exercituûm habebare;

bebâre; & tamen manum etiam misisti ad fortia, pari dexteritate clavam Imperator, ac gladium strinxisti Heros. Quo Tecumq; ardentissimus raperet belli calor, ereptâ resistendi fiduciâ cucurrit per membra pavidum hosti gelu; quocunq; inter tonitrua Machinarum, aut nudam ferri aciem, fulminis instar, aurem barbarorum everberares aut pupillam, Tuæ inibi classicum audivit Victoriæ, suæ Nuntium cladis vidit: quocunq; per obstantes cuneos, animo & gladio triumphali prorueres, stragem latè & funera seminâsti, Laureas & gloriam messuisti. Quantum Tecum ipso, sub prælii æstum, Tuis certamen fuerat! ut Tuâ, omnium constare salutem cogitâsses: ut Te servares gloriæ, non prostitueres discrimini, ut imperia, non pericula exerceres. Sed Tu exasperatus, intrepidam magis mentem talibus blanditiis, æquè amori militum ac hostium furori pectus impenetrabile habuisti: erupturum per mille chalybes, ad gloriam animum, non passus es, ullo obice retineri, quin maximorum audaciam periculorum, & primam Victoriæ palmam præriperes universis. Ita faventibus tandem Superis, & fatigato invictâ tolerantiâ cælo, diu libratis in ambiguum alis, circumvolitantem æmulos exercitus Victoriam, Tuis auspiciis, Tua pænè manu Germaniæ addixisti, unaq; acie & metuendis Orbi viribus subnixum hostem, & frendentem tacito livore invidiam triumphâsti.

Hæc Tu AVGVSTE MAXIME pro gloria magni Nominis, pro Christianæ rei commodo, pro Bicipitis Aquilæ, tollendis supra Lunam trophæis totus in Hungaria Mars, totus Achilles! cum pullata interim candida Sarmatiæ Ales, ubi nidum avitæ felicitatis poneret, toto Orbe vestigans, ad Te tandem fortunatissimè convolaverit; qui excusso vi fatorum CLYPEO nudam, domi forisq; convulsam & implumem, non protegeres tantùm, sed GLADIIS etiam triumphalibus

bus propugnares. Moliebaris grandiorem in Olympiis Gradivi Orthodoxi gloriæ Tuæ passum; cum ecce placata perditis Poloniæ rebus Numina, Campum in Te Electoralem converterint; ut & vastius hic Tibi exercendæ per arduissima virtutis regiæ stadium aperirent, & gesta hactenùs heroica in Majestatis Opera permutarent. Hîc Tibi scilicet provocandi fortunam indomita virtute, hic erecta & immota cervice, fatorum irritandi & hebetandi secures, hîc ex fine alterius laboris, gradum sequentis ineundi, hîc totum Te Tibi, ut publico Orbis bono impendas, eripiendi, ingens, & ultra vota arena panditur; hîc in Corona, quam cum summa felicitatis Nostræ Capiti Tuo detulimus, summa Tibi & coronis votorum: ut per ruinas & excidia barbarorum, Christiani Nominis quàm longissimè extendas Majestatem; ut extrema pæne rerum nostrarum deliquia & spem ipsam quæ miseros ultima deserit, tremulâ fiduciâ palpitantem, antiquo Sarmaticæ gloriæ & fortunæ vigori, Vltor hostium, Internæ assertor pacis, ex utroq; Augustus restitueres. Lateritiam accepit, reliquit Marmoream Octavianus Romam, sed id adultâ compositi Orbis pace, fortunæq; assiduo famulatu Togam illam lambente; quam sibi, priusquàm Trabeam induisset, candido prorsus vellere, filoq; non interruptæ felicitatis aureo amicæ sorores texuerant. Tibi laceræ undiq; res Polonæ, ex laciniis calamitatum, Purpuram humeris circumponunt; nec mollis Te Capua, florensq; Tybur pingvi oleâ fluentis Regni, Regem excepit soliô; sed scoria & ferrugo temporum, aureum dedit Principem; ut inter malleum positus & incudem, gloriæ Tuæ, nostræq; fortunæ artifex, æream nobis in auream refingeres, Romano major, Tibiq; tantùm par Ipsi Augustus.

Crediderim, non sine arcano fatorum, in pervigilium Ascensionis Dominicæ Electorale incidisse Comitium; ut scilicet Te electo, culmen quô exciderat

Polona rurſus aſcenderet cælo propiùs adſtituta feli-
citas. Non priùs me Hercle tunc, dimiſimus Numen è terris ad Superos, quàm grandem illum congregatæ Reipublicæ actum, divinis nutibus & auſpiciis inchòaſſet, qui in Te tandem ſuæ apud Nos Vicarium poteſtatis auſpicatò deſineret. Fuit illa, quæ abituris & migrantibus, matura & inviolabilis eſſe ſòlet, DEI pro Te genuina voluntas; & divini veſtigia beneplaciti, quò humana in ſenſum ſuum recta irent conſilia iterum expreſſa vidimus in Te SAXO. Nubes obvia, non priùs ereptum terris, arcanô cælorum involuit DEI vultum, quàm lux voluntatis ſuæ, Te in animis eligentium evolveret, quæ ideo Solem veritatis non perdidit, quia nonnihil in nubibus hæſit. Ita nimirum non facile obvia, quæ rariora & exoptata ſunt: magni laboris impendio, & cenſu difficultatum veniunt, quibus non è plebe virtus aut Natura, inuſitatum decus, & fæcundam multi boni felicitatem adſtituunt. Calcas & proteris arenam in littore, ſteriles conchas & adhæſurum paleæ ſuccinum deſpumantes aquæ projiciunt; candorem & lævitatem gemmarum in profundo marium ſcrutaris. Rude folium venti rapiunt, pomum nobile fixior ramus tenet, prata ridentia camporumq; apricum, vilis & incultus, flos inveſtit; Roſarum Muricem ſpinæ muniunt, & lilia horti claudunt. Profanum vulgus lapidum, quamvis ſalebram, & glebam terræ obſidet, adamantem rupes obruunt, & aurum montes tegunt.

Ita Te per ardua & confragoſa, è tot difficultatum viſceribus, ſciſsis etiam & abruptis animis, eruere debuimus SAXO pretioſiſsime, quia Gemmam Principum, quia noſtræ felicitatis & gloriæ lapidem angularem. Oppoſuêre Tibi Candidatorum Sereniſsimo Soli, denſas & caliginoſas nubes, implicitis & convulſis ſuſpenſa fata ſenſibus; ſed ut pulchriùs in illis, evolutus ex omine DIVERSICOLOR appareres, refra-

ctosq;

ctosq; mille varios virtutum regiarum colores, in Tui pompam honoris duceres, & quem clauso ubiq; Iani templo, Arcum pacis toto in Orbe attollendum, Princeps AVGVSTVS in fatis habes, hunc primum, placata civilis dissidiis tempestate, in animorum Iridem explicares. Illud Tibi etiam, ut tanti mensuram impleres Nominis, debebatur Augusto, fessa discordiis civilibus Regni sortiri initia; sed quæ non è Pharsalia & Philippis, sed invicta & machinas odii in tela amoris refingente, regii æquanimitate pectoris, in gratissimam publicæ tranquillitatis malaciam abirent, & perpetua in vultu Principis Civium halcyonia spirarent. Scidit, veluti ex composito cognato forcipe divisas mentes, fatalis Libertati discordia; sed ut brevi auspicatissimâ Tuâ insertus dexterâ, solisq; concessa Augustis felicitate, Lechico fulgeret in diademate, perfectissimi pretii unio animorum. Primus ejus Nominis, cujus hodie summus es, tentatos Avo Parentiq; conatus, Polonam Lithvanamq; Gentes, in unius Reipublicæ augusto Spiritu perfecit corpus. Tu, cum magnis Tecum accessibus, utriusq; decora auxeris in immensum, firmiùs coæquatum Aquilæ Equitem sociâsti; hians & laxatum utrobiq; vinculum debitæ in Principem charitatis, illo regiarum virtutum torque adstrinxisti solidiùs, quo sociabilem in Polonia concatenares cum Libertate Majestatem.

Deficeret Gallicum, aurea ab ore catena Herculem, si earum quæ Te jam in Solio circumstant, longissimam seriem virtutum retexeret: si ea ordine recenseret; quæ toto se agmine insinuant, & attonitas cogitantium mentes dulci admiratione confundunt. Religio, basis & fundamentum Regnorum, Throni Tui vestibulum & columen, in quas spes non extulit gestientem animum INNOCENTII? Tenerrimis ac innocentibus lacrymis suffusus sanctissimus Senex, jam voto non dubio lætatur, redituram Tecum Au-

gusto Saxoniam in obsequium veræ fidei, quam in Te Polonia coronavit. Ille, ille divinitatis radius, qui Principem afflavit animum, inde Regis erat; & dum Te nativis lustratum tenebris, illustriorem Orbi fecit, nobis Serenissimum ostendit. Vt Ethnica superstitione Persarum, Orthodoxa in Polonia Fides inclaresceret, Tu lectissimis Competitoribus præripuisti Coronam, quia Primus Solem ab alto Orientem mentis oculô aspexisti. Augustus liberæ Gentis Princeps, & verus Patriæ Pater futurus, priùs Te ipsum profanis emancipatum erroribus, in Filiorum DEI asseruisti Libertatem. Tibi re ipsa non titulo tenus, regium DEI gratia inscripsit privilegium; quia cæli priùs quàm Regni Candidatum, DEVS ipse elegit; & Regum Electori Populo, Imperii Electorem præesse jussit, postquàm in Sceptri immortalis hæredem adoptavit. Extende ab immarcescibili DADROVCÆ Serto, ad usq; istius quod vivimus felicitatem seculi continuandum seris nepotibus floridæ pietatis honorem Orthodoxa Polonia! quòd nunquam in sinistræ fidei manum, Regni pomum ingesseris. Manipulum Iagellonianum, in hodiernæ felicitatis acervo fortunato recollige! En iterum in Scyrpo Fascium Regni nodum eundem solicita quæsiisti! quem regnaturus ex DEO Princeps, dum jam districtis pro Cruce Ensibus cum omni dubio resolvit, amica Tibi Superûm fœdera sanctiùs obligavit. Tene & Tu supra culmen fortunæ & gloriæ Regni, tholum ipsum & clivum supremæ felicitatis Tuæ Regum piissimè! Næ Tu altiùs ascendisse potueris, quàm dum ita DEO proximus constitisti! Hæc Te vel unica celsitudo, terrarum Dominum evehit ad DEVM; hæc in Te fastigio felicitatis Augustam Poloniam, Te in Polonia Augustum Regem toto cælo coronat.

Regalis prudentiæ documenta, plena oculis omnium incurrunt luce, quamvis non egressa florem annorum latere cupiant sub ætate. Hæc Tuæ Operum

immor-

immortalium coronæ, tot jam intexuit Civicas, quot, præfocato primis in scintillis Civili bello, Patriæ servâsti Cives, hæc priusquam Martia Tibi gloria Othomanicas affringat Laurus, pulcherrimâ Pacificatorem Augustum Oleâ insignivit. Quæ illa mentis in omnem casum providæ, in subitis paratæ, in dubiis securæ, in arduis erectæ, tranquillæ semper & exporrectæ vastitas? quæ intimos animorum recessus profunda bolide penetrandi felicitas? Omnium licet affectus & officia comitate & alloquiis provocas, non tamen favoribus Tuis, malus pro bono subrepit, non bonus pro malo displicet, æquo supercilio & pretium virtuti, & censuram vitio dispensas; idem frontis serenum paremq; menti vultum, in prosperis retines & adversis; quantoq; prudentissimæ dissimulationi, quæ Sceptra in manibus Regum firmat, propiùs accedis, tantò longior es à lividæ confinio simultatis, quæ planè vultibus Principum difformem animũ componentibus adnata verruca est. Svadere Principi quod oporteat, multi plerumq; laboris, apud Te plurimæ facilitatis: quò recta ad salutem publicam consilia inclinant, illuc assensûs regii oraculum ex statera prudentiæ promptissimus inflectis. Optimorum Dux ipse & author consiliorum, sequeris libens alienos etiam, sed quibus unica salutis publicæ ratio præit, sensus; in bivio, speciosa inter & genuina non hæres, per suppositos cineri doloso ignes oculatissimus incedis, larvas & fucos fallentium perstringis. Totus ipse speculum es & idea, ad quam se comat elegantissima imperandi solertia, ex qua se prudentissima regnantium Majestas, ad salutem componat populorum.

Binos Enses, alterum Fortitudo, Iustitia alterum, Serenissimis Tibi in Ceris præfert, utrumq; Clementia temperat, neq; hebetat sed moderatur acumen. Hâc persæpé cum in bellicam in arena Martis gloriam laborares, excelluisti Victor, priusq; triumphatas hostium mentes, quàm Vrbes aut Castra expugnasti, corda priùs & animos, quàm pressas servili jugo captivâsti cervi

 ces.

ces. Multis utile bellum; Tibi in illo singulares manubiæ, spoliumq; opimum, cum humanitas Tua, barbaros feritate exueret. Maximus triumphi & victoriæ gustus, si hostis etiam, cum amarum sortis suæ sinapi morderet, Tuæ dulcedinem benevolentiæ persensisset. Solas catenas & compedes captivis alii, Tu primum vincula iniiciebas charitatis; videbanturq; plané sponte suas in clades ruere, victoriam pro Te ambire: ad Tuos triumphatoris pedes velle cadere, qui ad manus Tecum venerè hostes, ut maxima victis dares semper clementissimus solatia Victor. Iam quis in solio aram Clementiæ non adoret? quis Numen quoddam in Te, regiæ inter Principes bonitatis non suspiciat? Tranquillam potestatem, quâ solâ cuncta peragis, adeó sublimem in Majestate explicuisti, ut vel Olympo illi par sit, in quo nullus coit in nubem rigor, nullus iræ & turbido locus, sed inviolatum quoddã perennis clementiæ serenum, intaminatis honoribus fulget. Emines certè hic Diis simillimus Princeps, Iovisq; solium non attingis tantùm sed propé excedis; dum cæléstia tentas. Non fulmina offensus, ab alto vibras, non sæva irati rigoris missilia torques, sed ipsius jaculo divinitatis, id est inoffensæ mansvetudinis amoribus, animos qui offendere voluerunt, configis & suaviter penetras. Non ulla læso in animo obligati vulneris cicatrix remanet, nulla vindicis memoriæ, aut memoris vindictæ signa, nulla patientiæ exasperatio, aut ultionis dulcedo, nisi dum injurias beneficiis ulcisceris, tardam offensæ veniam arbitratus, si non illam sequatur è vestigio celeritas gratiarum. Habes veró optatum regiæ hujus virtutis fructum Regum Optime! Hâc videlicet Polonam quæ nullum aliud frenum patitur, mancipē Tibi fecisti Libertatem: Iam non in sinu tantum quod Regibus ante Te, sed profundissimis in Cordibus Civiũ securos ac dulces Tibi somnos concedit. Et quemadmodum ad cubiculi æquè ac animi Tui fores, non durus tristisq; Ianitor metus excubat, sed magni custos

clemen-

clementia mundi: ita aperta Tibi & pervia pectora subditorum, patentes Civium affectus: ut omnes lenibus suffultum Sceptris amemus Te & veneremur Principem, qui primó Rex ipse Tui, hoc unicum comi blandaq; bonitate fortiùs imperas ut ameris. Amaris, quia primus odia etiam provocas ad amorem; non enim ut alia subditus, ita amor facilé imperatur neq; est ullus affectus qui magis vicem exigat. Tu quidni talionem recipias amoris, quem non benevolentiâ tantùm regiâ, sed beneficiis etiam fæneraris.

Iunxit se cognato fædere fida Clementiæ soror, magnæ fortunæ & dignitatis maxima moderatio, quà in Solio sublimis es, non elatus; & inde magnitudinis Tuæ incrementa sortiris quod illam Civibus Tuis placidè submittas & permisceas. Plerisq; Sirenißimum Nomen, titulus est superbiæ; & cum nucleum virtutis in pectore nullum habeant, tumoris corticem inflant & distendunt fastuosa in fronte: non se adiri, non attingi permittunt, ne palam tinniat inane, quod in arcano intus est. Arcent aspectu sui & liberali alloquio subditos, quasi delibatam cælo Diisq; secundam vultûs regii Majestatem, humanis sæpe oculis vidisse crimen sit, nec loqui illis familiariùs nisi ex nubibus debeat Thaumantias Iris. Frontis Tuæ multo Numine suspensus honos, Tuisq; veriús quàm Roma olim credidit, Augusti ab oculis scintillans divinus vigor, & licet modestißimè premas, sese tamen strenuè vindicans, allicit, non perstringit intuentium pupillas; ut quò magis cælesti defixæ spectaculo in Te hæreant, eó plus libertatis accipiant derivandæ per oculum quàm vultu Tuo influis, in animos voluptatis. Æquè facile Tecum Ipso, ac cum fortuna Tua loqui concessum est: cordis pariter munificus, ac non parcus sermonis, quemlibet ore illo, quô bonitas ipsa Orbi loquitur, dignaris: quando veró in Te ipsum recedis, Tibi, id est bono publico meditaris, silentia secretaq; Tua non timemus: Vultus nobis ac animus Tuus eodem sub intuitu patet. Rem prorsús

 omni-

omnium difficillimam, retines æqualem in altiſsimo faſtigio gradum, ſecuriùs magnitudinis Tuæ, non Majeſtatem deiicis, dum modeſtiam inclinas, attollis non gravas culmen regium obvia cuivis comitate; inſilis pectora & animos populorum, dum arrogantiæ calcar, & ſoleas feroces proteris; accendis magis amores in Te omnium, dum flabella & ardorem ambitionis ragali modeſtiâ extinxiſti.

Liberalitas dignè regia, vix fidem inveniret, niſi oculis omnium & manibus teneretur. Longas Regibus eſſe manus, munificentiæ Tuæ evicit immenſitas: nulla ſe adeò remotam poſuit indigentia, ad quam indefeſſo benefaciendi ſtudio tornatilem dexteram non advolveres. Aurum Poloni Diadematis; nec in fronte prius Tibi emicuiſſe voluiſti, quàm auro liberaliſsimè profuſo, militari ære gravem Patriam ſublevâſſes, heroicum in hoſtem ferrum, Tibi animos in amorem & obſequium acuiſſes. Nilum Veſpaſiani largitatis Tuæ Océano exhuſiſti; non diei ſed horæ jacturam continua & perenni munificentia redimis, hoc unicum in regii theſauri gazam ſolicitus recondis, hoc inviolabile aſſervas, quod in publicum profudiſti. Spargis autem & erogas eò liberaliùs, quò innocentiùs cumulâſti: Non unquam fiſcus Tuus perſtrepuit gemitu populorum, non aurum livore aut culpâ expalluit, non lacrymæ ſuppleverunt tributa, quantum de fortunis, tantum de Saxoniæ felicitate congregâſti: quanta Opum Tibi, tanta lætitiæ ſubditis affluentia, quòd nullius paupertate diteſceres, non per ruinam populi regiarum cumulus divitiarum Tibi ſurgeret. Non ditior opum quàm amoris publici unquam eras. Quàm verò id in Te pretioſum! quòd ampliſsimi reditum patrimonii, non inutiles ſumptus exhauriunt; non focus abſumit aut culina decoquit, non vorago luxûs præcipitat & abſorbet: ſed privatæ neceſsitatis ſuccurſus, publicæ rei proviſio, prudenter æquè ac liberaliter theſauris Tuis præſunt, nec perdere opes, ſed donare ac munerari ex æquo ſciunt,

Quid

Quidquid ærario Regis adfluit, mox fluminis instar in commune bonum dilabitur: quantum vel Mensæ Regiæ detraxisti! ut publicam necessitatem satiares: illud in maximæ censum fortunæ refers, si neminem esse miserum patiaris, omnes facias fortunatos.

Ita dum largitor opum, largitor honorum promptus es ac munificus, sola animum, gloriæ inexplebilis avaritia possedit, cui in immensum per virtutes augendæ cupidissimus inhias. Sudorem heroicæ frontis, non abstersit regium diadema, sed majorem elicuit. Magnificum desidiæ velamen, ita Purpuræ detraxisti; ut ad ipsum nomen illius erubescat. Ita ductilem ad regios labores aureæ mentis laminam nactus es, ut illam magnæ in publicum cogitationes semper sub malleo habeant, & perpetuo extendant: Ipsa Tibi in gloriam laborat quies, & laxamenta curarum, dum animo indulgent, corpus egregiis laboribus exercent. Capitolina Tibi cella, non mollis otii aut oblectamenti secessus; sed quotidianis armorum aut consiliorum negotiis palæstra fervens. Ita in mediis pæne fulget Tibi regia castris, ut continua Gradivi meditamina & opera, nullas armorũ inducias, imò ne ludos quidem concedant nisi militares. Ferrum dulcè sapit, cum ad mensam regiam auro bibis: cruda potiùs Martis bellaria, quàm siculæ dapes & palati irritamenta, cibum animo & alimentum ministrant: pharetram aut sclopum medias inter epulas oculo perquiris, exploras manu, è triclinio ad castra digrederis, è sella ad equum properas; & horridam inter armorum voluptatem lætissima hilaria ducis. Tertius propè decurrit annus, & invidendo seculis spectaculo, Dresda vidit, Bacchi Marte incalescentis scenam, quâ cum Serenissimo Fratre, seriùs etiam per jocum contra Bistonas Bellator, Sceptro & ferro Lechico prolusisti. Non displicuit Germano etiam fuisse hostem, cum is vel personam Othomani indueret, quanquàm ficto illo conflictu pro vera uterq; gloria decertâstis, cum de bellatus

 stre-

ſtrenuè luxus, & indignarum Principe animo cupediarũ clades Victorem utrumq; adoràſſet. Poloni in arena illa Exercitûs Ductorem ſimulâſti; ſed animum quô in rẽ & gloriam Poloniæ ferebaris jam tunc Orbi aperuiſti; iturum Te libenter per extrema ſacri belli pericula ad triumphos, ſi Polona Ducem ſequatur fortitudo. Fuit Sceptri præſagium Clava illa, ut noſtra rurſus felicitas, Martem in Te Poloniæ coronaret.

Lubet adhuc Martialibus ipſa inter otia ludis fatigare imbellem calamum, qui hîc etiam dum ſtylum pro Te ſerium molitur, acumen omne perdidit. Ita ludicra etiam Tua, operoſas ſcribentium cogitationes exercẽt. Quæ illa, ſeu ſagittam ab arcu, ſeu plumbeam è ſclopo glandem proiicis, manûs Tuæ dexteritas! quàm felix jaculandi peritia, quàm perita felicitas! Haſtiludio emetiris campum, ipſa annulum conto offert æternitas, quæ Tibi cuncta ad famam dirigit, & ſemper collimanti pro meta eſt. Etiam averſô oculô, quidquid impetiiſti ſecuro ictu feris, quaſi manum oculatam haberes; etiam quod viſum effugit, telo certus conſequeris. Obſecundat pertinax aliàs, & difficilis flecti, regiæ dextræ nervus; juſſumq; mentiri neſcius ictum, in gloriam obſequii intenditur, dum digitis tractatur; qui ne latum quidem ungvem, à recto & glorioſo aberrant. Filum tenue (quis crederet?) ſi pro ſcopo pendeat; tanquam Ariadnês eſſet, tela Tua ſine errore intercipit. Pennata volucrum pernicitas, & àërei volatus, jaculi Tui certitudinem non effugiunt: ipſum inane, jaculandi felicitate & gloria impleviſti. Quodſi Amphiarai quondam ſagittæ effrondu-êre in Laurum: ſi terna uno confixa telo volucris, Bullionii famam adhuc in ſublimi retinet; quæ jaculis Tuis meta gloriæ? nullam profectò reperiunt, dum quamlibet tangunt. Vtinam ita votis, propagationem Chriſtianæ rei, Polonæ fortunam & gloriam anhelantibus, quemadmodũ telis ſcopũ, conſequâre quodcunq; petis.

Locamus illud deniq; prope faſtigium felicitatis no-

ſtræ

ſtræ, quòd non viduum nec ſterilẽ thorum Regio Throno adferas. Iam Tibi de Sereniſsimæ Domûs ac Regni Noſtri firmo columine, jam de lectiſsima Conjuge, & ſuis Parentibus digniſsima Prole, quibus cum, anxias Regni curas, lætus ac felix dividas, ſingulari favore Numinum, proviſum eſt. Sed vide, quomodo omnes, amor Noſtri, charitates in Te excedat! Patris ſtimulos, ignesq; mariti vincit cura Regis. Adiiſti jam tamen in animis Civium, pompa meliore, Solium Reginale, quamvis ôculos adhuc videndi Tui deſiderio torques Sereniſsima CHRISTINA. Quid facies præſens? quæ tantùm nec viſa places. Iam in Te Sereniſsimorum Principum de BAREITH, ac Brandeburgicorum, altis inclytum titulis Genus, jam conſangvineas Regum ac Imperatorum Majeſtates, cultu ſubdito veneramur è longinquo, ſed ad invidiam pæne Superûm, querimur tardos Soles, pulſamus ſuſpiriis cælum, ut diuturnos tandem moleſtæ ſpei cruciatus, longæq; moræ tormenta, optatiſsimo Tui conſpectu mulceant & compenſent. Iam huc pridem Tuarum fama virtutum celeberrima pervenit; ſequere major præeuntem, ſpem melior ſupera. Tua ad quam Regina venies, jam olim Polonia eſt; In quo ſe Lechicus Tibi advoluit Orbis, ab Auguſta propagine Tua, nõ longè cecidit Iagellonia ex arbore Pomum. Habuêre ab hac longæva Sceptris Sarmaticis Styrpe, Saxoniæ ac Brãdeburgici Duces, Auguſtas Conjuges. Tu ex illis Regũ Poloniæ Proneptis, reddes Sereniſsimam lucem Tuæ Regina & Mater Patriæ, quam ab illa materno in ortu accepiſti: Fovebis Matris non Dominæ ritu ſpes Polonorum & vota, dum ſvavibus ulnis præcelſa Natum indole FRIDERICVM AVGVSTVM complecteris. Te vultu, animo Patrem refert, uterq; magnorum Sobolem Regum, & jam fortunæ & gloriæ noſtræ pignus in Illo expreſsiſtis. Propera Auguſte Puer ad gloriã, quam Tibi Magnus Genitor, ipſo jam hîc in culmine ſiſtit. Huc Te Reginæ Matris pietas, huc Maſcula ducat Virtus Tua,

quò ad Orthodoxæ rei præsidium & decus, ad Christianitatis Antemurale, Tuis subinde suffulciendum trophæis, Invictissimi Parentis vocat fortitudo.

Tu jam Augustissime Regum, sequere gloriosus & felix magnos fatorum ductus: Iam in Montibus LEONIS Nostri, quam in Vavelo coronavimus, gloria Tecum & felicitas Polona in fastigio, supra Stellas eminet, Tu adhuc Lunam calca. Nunc demum Cynthia Othomanica errabit inferior Stellis; quando Tu nostram perpetua felicitate Tua fixam reddes. Quantus jam Cometæ illi Regnorum, pallor! cum Aurora in Montibus ad Purpuram Tuam rubet. Iam, jam contremuêre suis emoti cardinibus ferrei Byzantii postes, cum Tu ab Alpibus Nostris ad Portam Annibal. Iam illapso cælitus lætitiæ sensu, exsilire & liquescere, jam depulso trepidantis Astri metu, ad triumphale Crucis Signum, sese rursus erigere, omnem contra prædones suos movere lapidem videntur Rupes illæ; quæ barbaram hucusque obduraverant feritatē; cū Tu votis & gemitibus cælo tandē extortus, jā à Montibus nostris immines Cameneco fatalis SAXO. Procede prosperè, pugna, vince, triumpha! parabit interim triumpalē Currum, quò Te Augustum Victorem, Vrbi suæ revehat LEO noster. Si ex ungve illum cognoscas, Regibus suis constanter fidelis, in obsequium vigil & alacer, contra hostem magnanimus est, nunc triumphalibus armis, gemino ENSE Tuo invictus. Emedullat profusum cor in vota Tibi pro DEO Bellatori Achilli. Acta D. Augusti & annos vince. Secundus felicissimè, felicissimus diutissimè impera: quamdiu inter mortales eris, nihil in Serenissima Domo mortale videris. Seris etiā Nepotibus nostris ignota dies esto, quâ Te immortalitas Tua, subductum terris cælo afferet. Effractâ Orientis Portâ, optatā aperi Orbi Pacem, Ianum Europæ claude, fortunā Reipublicæ, Gentis honorem, gloriam Nominis, supra culmina attolle. Tandem, ut olim Octavianus Romā, Romæ singulariùs

Vesta.

Veſtales, Ita Ruſsiam, & hujus Metropolim, Vrbem Virginem, vel ab ipſo jam cælitus Tibi, Tuorum Maximo Majorum, Archi-Præſule Bonifacio, optimè commendatam, regiis amoribus, & clementiſsima protectione, teneriùs fove: quem hucuſq; ſævus bellorum furor, nuper ſub cubile ipſum accurrens Scytha, & catenata tot annorum calamitas fædum in modum laceravit; regalis beneficentiæ Charites dilectum Leónem mulceant, ſervet illibatæ Virginitatis florem, priſcæ fæcunda felicitatis, avitum refloreſcat in decus glorioſiſsimo ac fortunatiſsimo Patre Patriæ

LEOPOLIS ſub

AVGVSTO.